

735

I C O D I C E S

736

IV. fol. 214. *Sermo de Penitentig.* Initium: *Paenitentes Penitentes. penitentes. si estis penitentes. et non estis inridentes &c.* Est quidem inter *Augustinianos* edit. cit. T. V. numero CCCXCIII. col. 1506. sed, ut ibi notatur, reperitur etiam truncatus inter Opuscula *Ambrosii* et *Caesarii*. Sed et apud *Augustinum* non nisi Fragmentum Sermonis mihi videtur. Quae in edit. post medium uncinis inclusa sunt, neque noster *Codex* agnoscit, quocum legere malo: *felices hinc eunt, et: expectat enim tunc reconciliari, quam: felices hinc erunt, et: expectat etiam &c.* quod habent Edita.

CCXXX. VII. H. 35.

713 Codex membraneus lat. Sec. XI. Folior. 28. 4. non una manu exaratus sequentia exhibet: I. Epistolam D. *Augustini*, quae inscribitur: *Domino Eximio et merito insigni atque honorabili filio Bonifacio*, et incipit: *Jam rescripseram karitati tuae sed cum epistole dirigendae occasio quaereretur &c.* Militis Christiani forma designatur his literis scriptis circa an. 418. ut censent *Mauriani* T. II. *Opp.* qui col. 697. eas n. 189. reposerunt.

II. fol. 4. p. 2. Incipit *Paulini Episcopi. Ad Beatum Augustinum Episcopum. Augustino Paulinus.* Initium est: *De paucis quae nunc iam ad nauem currente litterarum perlatores &c.* *Nolanus* hic Episcopus est, qui circa an. 410.

Augustino Quaestiones e Psalmis, Apostolo et Evangelio proponit. Epistola legitur T. *suprac.* col. 355. n. 121. In *Cod.* habetur: *dum cartbagini hiemarem pro hyemares.* Sed illud versus finem: *curam de solatio ejus habuisset, cum Edit.* conspirat.

III. fol. 14. p. 2. Incipit *Ejusdem Beati Augustini Ad Eundem Paulinum.* Initium: *Beatissimo et venerabiliter desiderabili &c.* *Quod de peruentione tam prospera fratris &c.* Responsum est ad praecedentem Epistolam, et legitur T. cit. col. 503. n. 149. ubi anno 414. adfigitur eo, quod antea Responsum ad *Paulinum* non pervenerit. Habet *Codex* cum Edit. *rescripseram* pro *scripseram.* Indicat pro indicant. *Conscientie malorum* pro *retributione malorum.* Sed pro *occulte quippe sunt miseri* legit *occulta vel occulti.* Item *verius Israel* pro *verus.* Item *sed electorum* pro *dilectorum.* Ceterum in omnibus III. *Epistolis* Textus valde correctus est.

CCXXXI. VI. F. 7

Codex membraneus lat. Sec. 39^r X. Folior. nunc 112. 4. egregie scriptus et rubricis distinctus sequentia D. *Augustini* complectitur Opuscula: I. *Liber de Bono Coniugali.* Initium: *Quoniam unusquisque homo humani generis pars est &c.* Finis: *sed propter christum coniuges. propter christum patres fuerunt.* Extat *Opp.* edit. *Maur.* T. VI. *Paris.* 1685. col.

319.

319. sed in *Cod. folium 2. a* verbis: *veritati diuinarum scripturarum* usque ad verba *Sed melius ea nolumus quam uolumus*, excidit. Lectio ceteroquin valde conspirat.

II. *fol. 14. p. 2. praemissis his e L. II. Retract. c. 23. verbis: Nec distuli atque id dei munus et quam magnum. et quanta humilitate custodiendum esset. Uno sicut potui uolumine ostendi; hic liber sic incipit; librum de bono coniugali.* sequitur absque ulla inscriptione *Liber de Sancta Virginitate*, cujus initium modo audivimus. Finis est: *Hymnum dicite et superexaltate eum in secula.* Additur: *Explicit Liber Sancti Augustini De Sancta Uirginitate.* Ut in *Cod. nostro*, ita in *Editis col. 341.* Liber hic praecedentem excipit. Lectio sincera.

III. *fol. 43. p. 2. Item Sancti Augustini Incipit Liber ad Julianam De Professione Sanctae Uirginitatis.* Initium epistolare: *Augustinus episcopus seruus christi seruorumque christi. Religiose famule dei iuliane in domino dominorum salutem. Ne petitioni tuae. et in christo dilectioni &c.* Finis: *Perseuerans (perseveres) in gratia christi amen.* Sequitur praecedentem etiam in *Editis col. 369.* ubi lectio exactior, quam in *Codice.*

IV. *fol. 62. Ad Probam.* Ita inscribitur *Epistola*, quae in *Editis T. II. ponitur CXXX. col. 382.* et incipit: *Augustinus episcopus seruus christi seruorumque*
Denis *Codd. mss. theol. Bibl. Palat.*

christi religiose famulae dei probae in domino dominorum salutem. Et petisse te et promississe me recolens &c. Ejus finis: *qui potens est facere supra quam petimus et intellegimus.* Lectio *Codicis* proba.

V. *fol. 76. Incipit Liber de Agone Christiano.* Praeit hunc Librum totus Locus *L. II. Retract. c. 3.* ubi de eo agit Autor. Initium Libri ipsius: *Corona uictoriae non promittitur nisi certantibus. In diuinis autem scripturis assidue inuenimus. &c.* Finis: *et sarcina eius leuis. coronam uictoriae mereamur.* Legitur *Opp. T. VI. col. 245.* a qua lectione vix abit *Codex.*

VI. *fol. 94. p. 2. Incipit ad Aurelium (Carthag.) Episcopum De Opere Monachorum.* Rursus hic locus e *L. II. Retract. c. 21.* praemittitur, quo causam suscepti laboris *Augustinus* exponit. Neque tamen hic neque superius *Libri Retractionum* citantur. Initium Operis: *Iussioni tuae (sancte) frater aureli tanto deuotius obtemperare me oportuit &c.* Deficit in iis *n. 24.* verbis: *sed distinguens ministerium suum. quia ita inter se &c.* Integrum legitur *Opp. T. VI. col. 475.* cui probe consonat *Codex*, sed mox sub principium, ubi *Edita* habent: *ad eorum correctionem quid dicendum*, ille offert: *ad eorum correctionem et ad implendum nostri episcopatus officium contra differendum.* Optet Lector.